

muniri , urbis custodias intentiori cura haberi jubet , Joanne Montorio , Paliani Duce , cui pontificiarum copiarum præfeturam tradiderat , singula administrante , qui Ascanium Cornæum equitatus , Julianum Ursinum Italici peditatus præfectos creaverat . Per eos quoque dies Joanne Antonio Tassio cursorum Magistro , ac Garzia Lasso Vega , Regis legato , ob literas Tarracinæ interceptas , quibus Albanus Romam quamprimum ducere exercitum urgebatur , Romæ in carcerem conjectis , irarum causæ augebantur . Omnia in urbe tumultus plena ; complures Cæsari favere ; rem in celeritate positam esse affirmare . Cosmus Florentiæ Dux tria peditum millia , quæ ad Albanum mitteret , cogebat ; ex Pedemontana regione , atque e Gallia Cisalpina mille ac quingenti Hispani pedites ; e Germania militum auxilia evocabantur .

Pontifex , iis , quæ Hispani meditabantur , cognitis , jamque propediem armis controversias dirimendas ratus , Antonium Carraffam , Montebelli Marchionem , ad Senatum mittit , qui de rerum statu Patres doceat . Is , ab inito Pontificatu quæ cogitationes quæ consilia Pauli fuerint , persequitur : *Nihil illum vehementius concupivisse , quam ut catholicam religionem confirmaret ; prolapsam disciplinam restitueret ; corruptos mores corrigeret ; ad pristinum nitorem , ac decus Ecclesiam revocaret : his præclaris , atque egregiis artibus Pontificem doctrina , ac pietate insignem sedulo incumbentem , atque in optimo cursu expedite sanctissimorum Pontificum vestigiis insistentem , deturbatum , ac pene dejectum libidine , atque ambitione Hispanorum fuisse ; qui veteri in illum odio incensi , ipsis invitatis , supremam dignitatem adeptum torvis oculis inspicerent ; variis injuriis affecto , demum bellum minitarentur ; armaque in promptu , quibus Ecclesiæ ditiones aggrediantur , haberent . Quid enim ea commemoraret , quæ omnibus nota essent ? portus Ecclesiæ violatos , triremes per vim abductas , perduelles receptos , multa occulto agitata , ex quibus qua invidia , quave rabie conciti Christi Servatoris in terris locum obtinentem insequerentur , dignosci posse ; & nunc Albanum Ducem milites conscribere , copias cogere , Germanos ad Apostolicæ Sedis , atque adeo totius Italicæ exitium aduersere . Quem enim lateat , Alpium clausis a præferoci gente , atque Italico nomini infensa transmis-*

1556

*Joannes  
Montorius  
Pontificia-  
rum copia-  
rum præfe-  
ctus .**Garzia  
Lasso Vega ,  
Hispanoru[m]  
legatus , &  
cursorum  
magister in  
carcerem  
conjecti .**Antonii  
Caraffa , a  
Pont. ad  
Venetos mis-  
si , oratio .*